112.

203.
202

Vir Nobilissime & Doctissime

Utor adhuc praesentia tua, ut vides, fiducia amicitiae tuae et humanitatis.

Mitto ecce notulas quas tumultuaria lectio Novellarum vestrarum literariarum hebdomadariarum nuper in ipso itinere suggessit.

Perplacet institutum, quo variorum diariorum literariorum materies in uno conspectu compendiose exhibetur. Et vellem retrotractione quadam in aliquot annos idem vel ab eodem autore, vel ab alio ageretur; ipsa enim non nova, tamen renovari digna dicerentur.

Responsionem meam ad Dn. Rabenerum accepisti; quis illi sit Collega laboris, et qui sint alii, qui nunc apud Vos, et in vicinia similia menstrua aut Diaria producunt, discere pervelim. Spero has Te adhuc Lipsiae deprehensuras. Interea vale & me ama. Dabam Hanoverae 1716

Deditissimus

Godefridus Guilielmus Leibnitius